
Wiazkiewicz
Paulinus



CÆLUM SOLIS

In quo Deus posuit Tabernaculũ suum,

D. THOMAS AQVINAS

Christianum orbem, doctrinæ & virtutum fulgoribus

ILLVMINANS,

In Basilica S. Hyacinthi Conventus Varsaviensis

ORDINIS PRÆDICATORVM

per M. PAULINUM à S. ANDREA

Scholarum Piarum (Wiązkiewicz)

ex Oratorijs Rostris, stylo panegyrico


DEMONSTRATVM.

Anno, quo Deus inclinavit cælos,

& descendit in terras 1696.

die 6. *Martij.*





VARSAVIÆ,

In Collegio Scholarum Piarum Typis S. R. M.

In Stemma
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI
DOMINI.



Deliciæ Regum ſi lilia? ſorte beatum
Hac, quivis Florem SVSZYCIIq; putet.

Alexander Kraſinſki Capitan: Homellenſis & Propoenſis.

Iactent Elyſij campos cum tempore flores,
Nec ſteriles cæli lumine dona ferant:
Quantos hic Patriæ fructus dabit, atq; decores!
Principe Sarmatici luce fruendo Throni.

Victor Felicianus Cieſzkowſki Vexillif. Novogrod:



PERILLVSTRI
ac
REVERENDISSIMO DOMINO
D. REMIGIO SVSZYCKI
Canonico Cracovienſi, Scholaſtico Lancicienſi, Sereniſſimorum Principum Poloniæ ALEXANDRI & CONSTANTINI MODERATORI.



ÆLum ſolis in Tuas deſcendit manus; non ut aliquam, meritis & honoribus radianti augeat lucem, ſed religioſis involutũ umbris, à Tantis ſerenetur ſplendoribus. PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME D. In patentiori profecto non poterat explicari aprico, quàm ubi coram Te ſtetit, qui ſcholaſtico ademptis Cynthio fulgoribus, Theologico inſuper ſole, & Regij Illuſtris lumine vultus, ea effulges claritate, ut non in has Cælo meo adhærentes nubes, effundere poſſis ſerenitatem, ſed Lechico quoq; coruſcans orbi, majores, tam conſilijs, quàm ingenio amovere tene-

 bras.

bras. Talem enim cernimus, & veneramur, qualem Regnator Poloniæ amat Thronus, & qualẽ pridem Magnus ille ingeniorũ Æstimator adverterat OLSZOVIVS, eruditioneq́; eximiũ videndo, maximis nonnisi & gravibus parẽ judicaverat muneribus: ideoq́; virtutis cursu prævertentẽ stupens maturitatẽ ætatis, vix Primatiali adhibuit lateri, cordi simul applicuit, & præsaga mẽte ad grãdia destinatũ prævidens, quẽ Tibi se nunc non posse; fato præoccupatus iniquo; sperabat testari amorẽ, tunc iam compẽdiatas naturæ & fortunæ dilexit dotes, adeo; ut has præmiare animo, boni Principis placuerat, ni modestia deprecantis conspirantem in se expedivisset honorem; in virtutis, non dignitatum, Te potius inferentem passus, ostendendo. Et quamvis ita familiaria, docta Heliconis Numina, in pectoris admiseras sacrarium, ut non plus hæc Tibi, quàm illis Ipse attuleris decoris; in Polonorum tamen ingeniorum Theatro, talis probari voluisti, qualem primi Principis Regni mirabatur aula; eam intra Academica limina inferens eruditionem, ad cuius prototypon Polona Iuventus, in Patriæ crescens ornamentum, disceret suam formare vitam. Otium illud literarium Tuum, multis laborem attulit: quandoquidem,

cùm imitari saltē, si non adæquare, placuit; diurnis nocturnisq́ lucubrationibus immorari, omnibus volupe fuit. Invenit Aristoteles in Tui vastitate ingenij, Euripum: stupuit se iterum, sed & gavisus est, his absorberi latifundijs, nobiliorem sibi gratulando sepulturam, quā simul Rhetorici fontes, & Aquinaticus allueret Oceanus. Sed Apollinares quoq́ laureæ, Numinis sui postposita fronte; nativo Parnassi deserto situ, in Tuum pulchriùs, duxerunt sibi transportari verticem, Doctorali, eruditi capitis gestientes redimire tempora serto. Nec mirum hæc Tibi excreuisse decora; steriles enim non poterant esse illi pulveres scholastici, effuso sæpius fæcundi sudore; nec ingratiores mutis gymnasiorum lapidibus, qui attoniti sapientiâ, hactenus defixi stantes, ad præmiatrices laborum dignitates, extiterunt suffragatores. Fortunata sanè, & dives nimiùm Cracoviensis Pallas, Tuos asservans uniones, quos intensus eliquavit labor; æternātem famam Nomini SVSZYCCIANO non dubitans se mercaturam illis, postquam pretium illorum, Serenissimæ æstimârunt Maiestates: & quæ, de digno virtutum illius theatro sollicita, mentem sibi non raro torsit; angusta illis Craci videns mænia; suis jam potitur votis, gloriatur fortunâ, dum Te

Sere-

Serenissimorum IOANNIS & MARIÆ, Poloniæ Regum, Serenissimis Filÿs Moderatorem dedit, tanto muneri parem extitisse, exultavit. Plurimis e longinquo regias datur spectare Majestates; Tua Te virtus propiùs admovit, ut quò propinquiori, eò priori ad gratias pateret aditus: Serenissimæ Prolis adlectus institutioni, eos solicitudine ab Invictissimo Genitore mereveris favores, intuitu quorum, omnia digna Tanto Patre, Tantisq; Filÿs agis. Ambiêrunt hanc felicitatem multi: sed, vel sub impari sibi lassandos præscia fortuna onere, fugit; vel Expectatio Poloniæ, audaces elusit intentiones; ut Tu eam formares Iuuentam, cuius magnanimitate; restituta Lechiæ in Potentissimo Genitore felicitas conseruaretur ac augeretur. Assentatore calamo scripsit, an ore protulit aliquis; cum Ioue Cæsarem, diuisum habere imperium; parum tamen illum augustæ menti tribuisse existimo, si animorum negauit dominium: in Serenissimis Nostris Principibus, ampliorem Tibi Dÿ cesserunt fortunam; ut similes illis mentes, similem prudentiam, animi magnitudinem, similem dirigeres Majestatem, & eum intuereris amorem, quo ciuium in illos ita feruntur corda, ut non tacitis solùm, sed & publicis suffragÿs, mūdi im-

peria

peria ijs destinent, promittant diademata, precentur sceptra, solia offerant. Nec vano omine; quoties enim modestiore aspectu in eos defigimus oculum: reptare ad pedes purpuras, auri pretia in multiplicibus dignas frontes coronis, gestire, inclinari Thronos advertimus, ut in venerationem orbis, regias mentes elevatiori attollant suggestu. Ipsa siquidem faciei Majestas, & uerenda actionum gravitas, maximi indicia inhabitantis spiritus; quid Illis cæli, quid obsecutura polliceātur regna, imò quid conservatū teneāt, ostendunt, ita, ut vel nulli, vel solis debeātur summa Regnantiū fastigia. Scit quippe totus Christianus orbis, quàm gloriosa per ora hominum ferantur eorum præconia: ac proinde gratulatur sibi tales donatos Principes, qui Othomanicam deprimant potentiam, humilient fastum, sub triumphalem mittant calcaneum. Si enim ad Nomina, famamq́ꝫ, formidine, Bistonum congeletur, ac pene exanimetur sangvis, & crebriorem præsentientia cladem pectora, singultibus imminenti adgemant fato; invios quos quærent aufugi recessus? postquam explicatis armis, victore gladio deiecta capita, suis adsternēt plantis; Sarmatici helluonem sanguinis, in proprio demergent cruore. Legi[t]

hæc in

hæc in illis prognostica Invictissimus Parens, & vivam sui contemplans imaginem, auferri sibi toties sentit cor, quoties æstuantes desiderio martialis intuens laboris; ipso ardore magis, quàm tolerantiâ Castrensium incommodorum, conijcit ingentes fatigari animas. Ideas scilicet Platonicas eorum crederem erigere Magnos Principes, quæ olim facturi sint; si non; idem agere ac concipere, illos scirem, imò faciliùs agere, quàm concipere. Sed quorsum euasi? pudet me Augusta Nomina, in angustias pagellæ meæ deduxisse, quæ integros merentur fastos: parcent tamen temeritati, non diffido, excusatū habebunt, si prout omnibus è Scholis Pijs, ita mihi minimo sine laudibus eorum vivere, nec licet, nec placet. Feci id, ut Tuæ, Perillustris & Reverendissime Domine inde documentum quivis intelligat gloriæ; quantus ipse es! si tantis præsis Principibus, & ex muneris dignitate, æstimet virtutes. Vellet nunc divinitatem suam, Tecum commutare Plato: Stagyrites Macedoni non præscriberet præcepta; Arsenius, Arcadij teneros non flecteret annos, si in hæc incidissent tempora; mallent potius Serenissimam IOANNIS & MARIÆ instituere Sobolem: verùm tempori indignentur, fortunæ maledicăt; quæ in Te pronior,

in hos

in hos crudelior extiterit: frustra tamen mortuales irâ intumescunt cineres, frustra accenduntur invidiâ; sub Te Chirone, Poloni debuerant formari Achilles: Tu unus ad præmia gloriosè exacti eligi muneris. Habet repositos IOANNES III. habet grata Patria impensæ virtutis honores; quibus, cum Delicijs suis ALEXANDRO & CONSTANTINO, Tua remuneretur fatigia. Erit illud tempus, cum meritis iusta collata pretia, & Pias Scholas *in applausum excitabunt, nec patientur se ad reddendam præveniri gratitudinē; quandoquidem ita illas obstrinxisti, ut Tuo impendi honori; gloriæ sibi & felicitati ducant. Quanquam vix sufficientes ad rependendas inuenimur gratias; & si animus volentibus inest, modus tamen non suppetit, ne impari certantes voto, in beneficiorum peccemus multitudinem. Novimus Tuam in nos propensionem; experti sumus & Vniversitatis Cracoviensis; adeoq; tam huius, quàm Tuo ingrati non possumus esse affectui. Et hæc in Scholas Pias benevolentia, mihi quoq; necessitatem imposuit: testandæ, qualiscunq; demū sit, iniunxit officium gratitudinis: non ut nihil Tibi debeamus, sed debiti aliquam exolvamus; vel (quod verius est) maiorem contrahamus*

par-

partem. Quanquam magna ausus sum, nec ideo præsumptionis notam effugere possum: ingentia merita Tua, aliquot complecti adnitendo verbis, quæ disertiores aliJ recensendo, ampliori illa adornarent panegyri: nisi animo resumpto, plus me præstare scirem, si magis eadem silentio coluero, quæ omnem eloquentiæ excedunt possibilitatem. Aliqua solũ attigi, non ignorans quævis elogia de Te, potius debere constare gestis, non dictionibus; neq; illa faciliùs posse à me dici vel scribi, quàm a Te fieri. Deniq; verebar, ne typographis splendorem illis adimere viderer umbris, & sub prælo extenuata, Polono porrigere mundo, dicendoq; aliquid, maiori inuoluere silentio. Sufficiet mihi; si impar SVSZYCCIANO celebrãdo Nomini; talis saltẽ Illius dici, & esse meruero cultor.

Perillustris & Reverendissimæ
Dominationis Vestræ

Devinctissimus servus

Paulinus à S. Andrea
Scholarum Piarum.



Cælum ſolis, in quo Deus poſuit tabernaculum ſuum D. THOMAS Aquinas.

DEſinite tandem, deſinite aliquando terris infenſa ſæuire aſtra, amæniore, ſerò licet, affulgete ſidere, jam poſt nubila, poſt mortes & funera, clementiore mundum reſpicite Phæbo, & mortali ſatiata nece, reddite diem, horrendam ſuperfuſam orbi caliginem amouete. Sexies jam mille, prono curſu labuntur ſæcula, non tamen aliquod terris eſt tale adhuc exortum jubar, quod humani nubila diſpergeret animi, triſtitiam diſcuteret, incubantē denſis tenebris leuaret noctem. Etſi enim Creatoris dono; os homini ſublime datum, cælumq; tueri juſſus, & erectos ad ſidera tollere vultus, non ideò tamen feliciores, fortunæ noſtræ gratulari poſſumus, ſi communi vermibus, muſciſq; fruentes luce, animis nihilominùs inductam patientes noctem, diem deſperare cogimur. Deplorandam ſanè mortalium ſortem! miſeros terrigenas! quorum ita addenſatæ mentibus iniciuntur nubes, ut, in deuia præcipitando greſſum, ad veritatis lumen nequeant peruenire. In ipſo quippe adhuc naſcentis mundi mane, hæc nobis inſedit caligo, quam Princeps ille tene-

brarum, lumine intellectus erepto, invehens, ita illum Cimmerijs involvit, ut ne vel intra aliquot elabſa ſæcula, his ſe expedire valens, erroni populo nouam olim cæli debuerint accendere lucem, ne fortè per inuia vagabundus deſerti, à Numinis deflectens via, in alienos impingens Deos, erroribus abduceretur. Et quamvis ſereniore vultu nos tandem fuerant dignati Superi, cùm à ſedibus Excelſi, illud increatum Lumen, Splendor Patris æterni, ante luciferum genitus, in umbra mortis ſedentibus illuxerit; infernalis tamen tenebrio, an potiùs inſanientis mundi turbo, æcumenicis immiſtum umbris, extinxerat, è ſuo radiantem detraxerat zodiaco. Arſit & nouo prodigio cælum, ſplendentes parturierat flammas, conceperat incendia, totumq́; ſtupendis planè æſtuabat fulgoribus; quid dico? ignibus depluit, ardentibus in terras defluxit linguis, ut undequaq́; circumfulgentibus lumen perſuaderet, tenebras diſſuaderet: verùm, neſcio, quæ mundi malitia toruo veſana ſpiritu, excitata collucentes demerſit tempeſtate. O triſtem ſcenæ faciem! o ſpectaculum luctuoſum! o intolerabilem mundi calamitatem! ergo jam revulſo lumine, lætiorem non licebit ſperare diem? itane ſuperna orbi luce, mæſta nobis ſorbebitur lachrymis pupilla, nec clementius aliquod illi diluceſcet aſtrum? adeſſes nunc! adeſſes Pariſienſium Antiſtes Dionyſi! & uniuerſales has contemplatus tenebras, iterum vel naturæ authorem pati, vel orbis machinam è commotis defluxuram baſibus aſſereres diſſoluen-

dam.

dam. Sed quid agimus Auditores? cur cæcâ premi mundum querimur nocte? en subitò noua ipse irradiatus luce, sensim rarescere caliginem video, crassioribus obsitum nebulis resolui conspicio àërem, medijs terræ ætherisq; regionibus, Cælũ solis extensum aduerto pandi. Cernitis illud? intendite solummodò non tam oculorum quàm mentis aciem in Diuinissimum Doctorem THOMAM Aquinatem, & sacro illius appensum pectori intuentes solem, talem mecum adorate. CÆLVM ego SOLIS, in quo Deus posuit tabernaculũ suũ, hodie venerabor; non minoribus nictitans stellarum igniculis, sed grandioribus resplendens fulgoribus, utpote primæ magnitudinis conspicuum sidere. Vereor equidem, ne penes tanti luminis copiam, eloquentiæ meæ clariùs vobis pateant defectus, qui fortè beneficio tenebrarum censoriam effugissent pupillam, non diffiteor tamen, quòd vestrâ etiam D. A. protegentur beneuolentiâ.

Nondum sua mundus sumpserat initia, quando Summus ille, ac Supremus huius universi Parens, Deus Ter Optimus Maximus, innumerabilibus prior sæculis, & omni antecedens ævo, in sua immensus existens majestate; in tempore tandem, lucem illam clarissimam, quietem placidissimam, cælos inquam inhabitauit. A. D. Quamvis enim totam hanc latepatentem impleat molẽ, cunctis, certa & immutabili lege imponendo dominium, ut non Athea delusæ opinione mortalium mentes, for-

tunæ varietate, vel vi aliqua materiæ, cælestia terrestriaq; temperari, verùm diuina prouidentiâ gubernari intelligant; post rudem tamen & indigestam, ordinatam farraginem, ætherios statem orbes, in sedem, & majestatis elegit solium, ut secundùm altitudinem illorum, sic & gloria ejus mundo innotesceret. Verùm non ita & hoc supernum adamauit domicilium; nouos semper inter homines, quinimo in ipsorum pectoribus efformans cælos: quod vel ipsi certo profiteri videmur asserto; in ipso nos viuere, moueri, & esse; eò firmiùs, quòd ex sacro ipsius oraculo; in medio populi eum audiuerimus habitare. Et si Pòéticæ est credendum veritati? esse Deum in nobis, agitante illo, nos calescere. Sic post præcipitata in æternitatis abyssum quinq; millium annorum sæcula, depressa dignitate sua, à summo exultans axe, in terræ descendens infima; immensitatem suam ita angustijs coarctauit illius, ut unius Virginis complexus visceribus, medius in medio nostri humanatus steterit. Cælum hoc innube ex mente Hipponensis Præsulis, æterno illud incolenti adeò complacuit Deo, ut quem olim dolore intrinsecus tactum pænituerit hominem creâsse, tunc delicias suas esse cum filijs ejus sæpius asserens, etiam nunc similes sibi construit mansiones, in quibus sapientiæ suæ proponeret argumenta, omnipotentiæ documenta testaretur. At multos ne ejusmodi antecedanea tempora viderunt cælos? quot anteacta ætas collucentes telluri tales obseruauit polos?

qui

qui in dilectum veri Numinis cessissent aliquando habitaculum, & fulgentissimo super adiacentes orbi tenebras resplenduissent lumine? fateor equidem propria fædæ Veneri non deesse astra, in quibus effreni insaniens amore, noxios in mortalium cordibus accendat ignes, excitet ardores, nutriat incendia, adurat flammis, sacra insuper populetur pectora, vel saltem ignominiæ deformet fuligine: ast Deus castis solùm delectatur animis. Fateor & minaci bellorum fulminibus Marti suum esse sidus; sed quod discordias, tumultus, cædes, strages jaculando in terras, funera regnorum luctumq; adferat, vicos exurat, diripiat urbes, deuastet agros, domos incineret, Christi templa in stabula, altaria in præsepia, sacra in profana; satisne? in spurcæ libidinis immutet propudia: at cogitans Deus cogitationes pacis, tumultuantes fastidit residentias. Fateor & Lunæ non raro oriri Phænomena; sed quæ vitiosis deformata næuis, nunquam eandem præferant faciem, nunc in plenitudinem perfectionis crescentia, nunc decrescentia; modò in orbem sinuata, æternitatem quandam præsentis Dei commonstrent, modò nulla compareant. Non nego frequentiores Cyllenios nictitare axes; sed qui mendicato solùm rutilent lumine, ideoq; diuinam præsentiam vix attrahere possunt, quæ lucem inaccessibilem, & indeficientem complectens, adscititios odit splendores. Cælum solis A. Deus inhabitat, in sole tantùm suum ponit tabernaculum, hîc sedes, hîc thronus illius. Dubitatis?

at nimis inhumani essetis, si auersum obtutum mentemq; à Diuinissimo Doctore tenentes, idem non assereretis. Sed neq; ambigere poteritis, postquam productionem ejus penitiùs scrutabimini. Reuoluite tantummodo mentem ad admirabilem mundi constructionem; & Verbo Domini firmatos non ignorantes cælos, etiã hoc eodem factum non negabitis; ubi Spiritum Domini super Aquinatica ferri aduerteritis fluenta; à quibus ut Thomisticum diuideret Deus Firmamentum, & suprà juberet in lumen uniuersi librari; non aliâ linguâ, ut diceret, nisi Spiritu usum credetis: ut super orbem appenderet; Dextræ suæ Digitũ adhibuisse decidetis: ut sparsas super faciem Abyssi (THOMAM intelligo) depelleret tenebras; eodem dissipatas non dubitabitis Spiritu: ut amica solis radiaret amænitate; Spiritu Domini ornatum & accensum annuetis: deniq; Linguæ huius Verbo facta omnia mirantes, perfectum omnino in suo stetisse initio, & non tantùm ipsius capax Dei, verùm etiam toti illuminando sufficiens mundo, facilè concedetis. Iamq; bonum mane! post tot letales nonnisi suadentia sidera somnos; bonum inquam mane tibi apprecare orbis, futurum gratulare exoriturum diem, non ampliùs querulis tardè reduces vocibus urge Phosphoros; tripudia! exulta! lachrymis hucusq; innatantem abstergepupillam, hilariorem exporrige frontem, demissam in mærore eleua palpebram, reduc iterum in orbem diutina suspensum tristitiâ supercilium, in salutatorios rede-

un-

unti felicitati, te præpara applausus. Eant jam faustiores, & ideo jactantiores Romanorum dies, quos multiplices quondam intulerunt soles; fortunatiora nobis redeunt lustra, dum longè copioso à Cælo hoc renident fulgore. Ita enim in apricum prodit, ut quævis tollat sidera, & ad diametralem lineam principis oppositus tenebrarum, desidia eousq; hominum, meridianum factum, in tenebras compellat, eijciat, damnet exteriores. Time infernalis Alastro! in Cælum hoc, tristem nonnisi, & toruum abhinc defiges oculum; horribiliorem Erebo deuoluendam spera caliginem, quam mox radians illius Titan è mundo fugabit: æquale cum Altissimo non tibi supra illud ominare solium; si ipsius sedes est? inquilinum certè non patietur. Formidate lippientes Hæreseos oculi! & si ad Dominici majori reardescentia vi toties caligauistis lumina, ad Cæli nostri matutinam cæcutientes lucem, meridiem non expectate, quandoquidem reuerberantem ferre non poteritis claritatem; & si minores aliquando, iniquo forsitan fato! obscurare potuistis planetas, integrum inuoluere cælum, non vestrarũ viriũ erit. Quanta! quanta boni superi ab illo fluent solatia! quanta lucis manabit reflexio! quam hinc natiui augent splendores, illinc nova accensa ei cumulant sidera: hinc Aquinatum Comitum associant decora, illinc mystica comitans Aurora, qualem euoluet serenitatem, præsagit. Arripite studiosi Matheseos alumni vestra astrolabia, tubos capite opticos, sumite telescopia,

videte, quodnam apparuit signum; & si illa ex Iacob stella? nova gaudia nobis auguremini. Horridis vitiorū squallens absinthijs tellus, ditiori fluctuabit messe, si uberrimis in illam jam nunc destillans imbribus, ad emolliendam, & fæcundandam, æstu decoctam scelerum, non in hæc larga tantùm soluitur profluvia, integra etiam absorpta parat effundere maria: illa inquam Maria, ex quibus Divini Spiritus descensu fæcundis, & Altissimi obūbratis virtute, Incarnata mundo emersit Diuinitas, Gēma coronæ Sanctorum progenita. Parum bona duxere Numina, coæuis & gentilitijs sterile solum irrigare aquis, integro illud replent mari, ut copiosum proferat fructum in tempore suo. Adeoq; frustra jam pia Genitrix Theodora, THOMAM Principum agitas cunabulis; cælum est, operosioribus, quia infatigabilibus Intelligentijs magnitudo ejus mouenda committitur: frustra tenellum stringis fascijs; cælum est, amplitudo ejus non his zodiacis circumdari debet: frustra nutricum jubes portari manibus, cælum est; potenti manu Dei supra terram affixum, decliues fugit ambitus: frustra materno pusionem ablactas ubere; cælum est, non has sibi Galaxias imprimi vult, sed quas innocentiæ depinxit candor: frustra inter gynæcei sollicita educas delicias; cælū est, omnib⁹ prodesse debet, omnes illuminare: frustra puerilia ingeris manib⁹ crepūdia; cælū est, in cujus altissimis æternæ fixa habitatio Sapientiæ, paginæ solùm, vel libri

re-

referet similitudinem. Iamq; sit sua Isaiæ oraculis fides, typicum illud adinstar complicati libri habeat veritatem cælum; in hoc; quot explicata cernuntur folia, tot vastitate grandes numerantur sphæræ; quot lineæ, tot motus; quot verba, tot stellæ; quot elementa, tot radij; quot literæ, tot signa computantur. Non jam itaq; sollicitam ulterioris victus crescenti filio ad majora te exhibe Theodora; ut famem & sitim expleas, liber illi vel pagina danda est. Deuorat plerumq; libros malitiosa juventus, Ovidios iterato mulctat exilio, Lucanos, ne lucem videant, Virgilij Bucolica, ne musas venerentur agrestes, & sexcenta classica absumit volumina, postquam diuenditis libellis, perniciosam illis unicam saginat sitim, quasi verò non satis essent Hippocrenei fontes, vel eloquentiæ flumina ad explendum adolescentiæ intellectũ, ni Hybla, vel Phalernum extinguant præconcepta malæ mentis desideria. Divinissimus THOMAS aliter folia librorum manducare nescit, quàm labijs ingesta tenellis, visceribus immittendo, Recludit quidem pectus, sed ut Librum, cui Verbum æternum inscriptum fuit, in se reponat: panditur, ut Nomen à cælesti Fortitudine allatum in terras, iterum suis recondatur augustalibus: Nomen scilicet, quod Nazareni celabant parietes, purissimo solaris astri recipiatur penetrali. Nollent profectò librorum sexterniones gemmata Darij scrinia, si ejusmodi collocarentur triclinijs, quæ non aliud habent ostium, quàm os, non aliam bibliothe-

othecam, quàm cælum. Infantilibus tandem evolutus cunabulis, ad Cassinense currit studium, ut ex Benedictinis spinarum puncturis, svauem sapientiæ decerpat rosam. In montis illius verticem primos effudit radios, ut reducis diei certior omnibus spes conciperetur Cassinenses Musæ Atticas pertæsæ noctes, non ampliùs amicam sibi petiêre auroram, postquam totos cælos, ipsa Hyperionia blanda suspexêre ora. Demisit de sua, palæstricus Majestate Phæbus, nec aliquo visus jam tunc splēdescere jubare, ubi hæc illi opposita steterunt decora. In inutilia forsitan tantùm syluescens ille Parnassus senticeta, & ipsorum ferax truncorum, in aptas primò effigiandis Mercurijs arbores, & doctæ Palladis succrescere cæperat oleas, innumerisq; se grauari sensit lauris, postquam beneficus illum Cæli nostri respexit planeta. Apollinis lucus, longa ætate, ipsis nigrescens umbris, pristinam sibi restitui exultauit lucem, vix à luminoso excanduit hemisphærio. Habet plerumq; & immatura ætas, quod admirandum & præmiandum in se demonstret orbi. Arctis non raro minutiores cunis captiuantur artus; & jam capacissima virtutum, longi impatiens temporis, ex angustijs illorum emicat mens: domesticis pusio clauditur liminibus; sæpe tamen dissitâ rapit in stuporem plerosq; famâ, & morum non nemini grauitate illustris, ingentem de se excitat opinionem. Vagiens nondum Alcmenæ brachijs dimittitur Hercules; imbecilla manu jam præfocat colubros, majoribus impar li-

cet adhuc draconibus enecandis. Multos ſiquidem numeramus, in quibus nihil puerile, præter corpus judicamus: plures videmus, pumilâ etſi terræ adhærentes ſtaturâ, grandeſcente nihilominùs ad maxima, Olympos tangentes animo, adeo, ut cùm æquare illos non cuilibet licuerit, ſequi ſaltem vel mirari, gloriæ & felicitati ducant. Ea ex Caſſinenſi muſæo de Aquinate noſtro percrebuerat fama: euaſit ſub magiſterio Benedictinorum, & bene doctus, & benedictus. Mons Caſſini, Parnaſſus illi, in quo frequentiores ſacros in odæo concentus, quàm cantilantes audiendo muſas; ſæpius deuotis lachrymarum profluvijs, quàm Caſtallijs innatando torrentibus; crebriùs genua flectendo, quàm oratoriè ſermonem inflectere diſcendo, alienum à cælo literarium etſi adamauit otium, tale tamen, in quo plus agendo, Aſſiſtrici ſedium Altiſſimi dignum pararet reclinatorium. Ignauiæ ſiquidẽ pullulantia capita partu, ſapientiæ nequaquam domiciliũ ſunt, quæ bruta potiùs irrationabilia nutriendo fouent, vel prèciosarum gẽmarũ (literas volo) prædonibus latibula exhibent. Quid enim à doctis numinibus non occupata ſunt capita? niſi triſtia deſerta, per quæ vaga oberrans mens, otio indulget. Bonum omen, ſi in adoleſcentum mentibus ſuam Apollo Delum, vel Clarium ilico inueniat: evidens ætatis juvenilis documentum, in publicum creſcentis ſolatium, ſi Palladiarum amans olearum, non remiſsè Cleantis nutrit lucernam, ut non natiuis diues tantùm ſplendo-

ribus, ſcholaſtico quoq; illuſtrior Cynthio, pulchriores undequaq; diſcriminet radios. Nata nobiliùs infantia, cùm quoddam terreum cenſeatur Numen; non ſibi naſcitur, ſed omnibus: hac inter viventes annumeratur lege, ut eorum bono ſe ortam exiſtimans, nihil fatale ominetur. Talem quæſo liceat vobis Auditores Aquinatem noſtrum, tale primum Cæli hujus, intueri mane; in quo non irata facies, imminentia tonitrua; non contracta in nubem ſupercilia, fulmina; non torva & aſperata frons, tempeſtates portendebat. Nihil tam ſublime ac elevatum fuit, quò non eniteretur aſpectu; nihil depreſſum, quod dedignaretur, nihil magnificum, cui non augeret incrementum; nihil humile, in quod ſua cum majeſtate non influeret virtute; deniq; nihil, quod ſe à calore ejus & lumine abſcondere poſſet, talem propinquis ſe infundendo, ut longè diſtantia non deſpiceret. Ita innube Cælum noſtrum, jam induitur tenebris, religioſis operitur umbris, vicinius tamdiu terris, eclipſatur, non ita attamen, quin pulchrius expectantium iterum explicetur oculis, auguſtiore, Dominici & ſuo deſiderabilius ſidere. At vide! quid agas THOMA? non ampliùs in domus tuæ decorem veſtieris purpurâ, ſed aſpero tectus cilicio, nigro obſitus ſipario, crebriores pati debebis eclipſes. Anguſtam quidem immenſitati tuæ, terram fugiens, capaciorem credo expetis ſitum? falleris; arctiorem inuenies: ampliori vis ſpectari loco? erras; demiſſiorem habebis: liberiùs & patentiùs

ſpar-

ſpargere geſtis radios? deciperis; religioſum velamen concentratos ſolam humum coget ferire: à nocuis, & exhalantibus in tuam infectionem vitiorum mephitibus, quæris ſurſum abſtrahi? ignoras; etiam has ni calentiori exuras igne, tumultuantia in te ipſo tonitrua, vel fulmina parient, quæ incautum non raro lacerent & feriant. Deniq; ejurabit Aquinatica geneſis, quam ejuras, dum in religioſa juras propoſita: deſtituet juvenilis ſanguis, diuturnis extinctus jejunijs. forſitan nuncio rumore, hic patet Theodoræ occaſus, quæ mallet te ſemel mortualibus ſquallentem umbris, non ampliùs ſerenari, quàm ſemper Aquinatico nomini occumbentem: vellet ſepultum ſpectare, quàm clauſtralibus inſepultum parietibus. Videń imaginatrice ratione, ut parata pro te veſtium diſcindat tegmina, unionum conterat pretia, ut cineri immoriantur ſuo, quandoquidem non vis vivere illis: opulentas hereditariæ poſſeſſionis dilaceret inſcriptiones, cùm diducto, ad capeſſendam prædicatoriā veſtem contendens pectore, tantarum familiarum diſcerpſeris diplomata, quæ in te tranſcribebantur. Fundit lachrymas; ſi propiùs accederes, duo lumina, flumina fierent, quatenus maternis obruereris fluentis, quem adeo Dominici aduſſit canicula, ut nec cognominis, nec gentilitio flumine, nec maternis intepeſcas torrentibus. Imo verò ocyus accelera: propaginis tuæ ſidera, non niger obtenebrabit habitus, qui diem in candida repræſentat toga. Non lente Lentine Pater prædicatoriam impone laciniam, quam

festino & festivo THOMAS præstolatur animo. Gratulor te Dominicano amictui: verùm non illum arctis stringas amplexibus, non alliga cingulis; sim falsus vates, adeo ingens turbo exturbabit vires, ut hunc & laceret & auferat. Reformatum te fraternis aduertes manibus, ex religioso, rursus Aquinatem miraberis. Vis plura? certior mater, matrem exuit, cùm tu filium Dominici induisti. En jam prouolat ad Neapolitanum Conventum, ut novum videat miraculum, arcto te potuisse capi & concludi cubiculo: appara salutatorias voces recipiendæ, virtutis tyro; ex arce Sicca properat, sed madida planctu, ut hanc novi tegumenti eluat tenebram, vel accensas Dominici depopuletur faces. Cernis ne? intumescit animo, inhorrescit vultu, fronte asperatur, sanguine suffunditur, oculis flammas eicit, pectore concutitur, collo distenditur, furore exardescit, neruis, ossibus, artubus contremiscit, lugubribus aera implet vocibus, maledicis in sanctas & religiosas verbis debacchatur animas, toto inquieta agitatur corpore. Quid censetis Auditores? THOMAS ne in amplexus exsiliet? minime: exuit filium, cùm induit religiosum, & matrem nactus religionem, pro nouerca habet Theodoram: id solum desiderat, ne desideretur, hoc præuidet ne videatur, hoc cogitat, ne unquam de ea cogitet, hoc quærit, ne quæsitus inueniatur: terræ introiret viscera, ne materna intueretur, molliores credens telluris nervos, quàm insanientes amore sui fibras genitricis. Æreum cælum sensit

THO-

THOMAM noſtrum, ad preces & lachrymas, ad minas & iras emolliri nec diſſolui potuit: conſecratus in magnam domum Dei, maternum excludit affectum, ne quid terrenum, reſidentis arceret præſentiam: a gentilitijs ſemel ſegregatus aquis, non vult ampliùs miſceri, ne confuſa ſine ordine moles, & ſibi, & mundo adferat ruinam: ſignum hoc fugit mulieris, quæ non ſolis amicta radijs, ſed ſtygijs accenſa furijs, motum ſuum in cōmunem effectum ſiſteret, vel tardaret. Quare quieſce querulans, ab incepto deſiſte conamine; cælum inclinare, non tuarum virium eſt, ſed Angelicarum. Intelligentia motrix ſi adhuc eſſes, vix quidquam efficeres, priùs alterationis laſſata motu, irritum deſereres laborem. Non agnoſces THOMAM; longè mutatus: nihil in eo relictum eſt, præter nomen. Oculos intueris? bina emicare luminaria videbis: ſupercilia, vel demiſſas, & in terram deiectas agnoſcere voles palpebras? geminas miraberis irides: purpureas faciei conſiderabis genas? rubentem ortum, & prognoſtycon ulterioris ſerenitatis accendi ſuſpicies occaſum: alloqui ſi audebis? taciturnitate concluſam ſtupebis linguam, triumphalem ingredienti Deo in ſe aſſeruantem portam. Quòd ſi vitam inſpexeris? quòd ſi filialem amorem? in Thoma THOMAM perijſſe exclamabis. Sed quis, o Superi! auſus? quod facinus? in regna beata poli amorem, odijs tranſmutare? quæ ſæva genitrix? quæ impia mater eos rurſum eſt enixa filios, ut iterato ſuperas arces infeſtent

bel-

bello? video! video audaciores gigantes accingi armis, domo progredi, in pugnam expediri, in prælia feruere. Timete ſacrilegi! timete audaculi! tranquillum etiamſi cernitis, nullaq; minitans fulmina; verenda tamen eſt vobis hæc ſerenitas. An ideo præfidentiores conflictus molimini Superis? duella meditamini inferre cælis, quòd nullis conglobentur in vos nubibus, ex quibus temerariam jaculentur audaciam? perpendere tamen veſtras debueratis vires; tantone ſufficientes operi? Deo ne pares eſſetis expugnando? Qui, o tempora! Promethei, ſolem ſtellatis regionibus auferre volunt? qui, heu nefas! temerarij Phaetontes ad ſtultum velle ſuum, hunc frenare appetunt? quæ licentia luminoſas inuadere non expaueſcit oras? ac niſi Caſtor & Pollux, Ledâq; non Theodorâ, Landulphe & Arnolde geniti eſſetis, fida adhuc vobis, fixaq; ſtatio concederetur. Verùm patitur vim A. & à violentis rapitur Cælum! candida THOMÆ diſcinditur veſtis, detrahuntur tegumenta, quatenus communem profeſſis inſolentiam, induat libertatem: maternis non oculis, ſed diris offertur, pro cubiculo carcerem, pro molli ſtrato pavimentum, pro cibo decruſtata panis fragmina, biennalem novitiatum pro clauſtrali habiturus. Detonatur acrioribus in vinctum verbis; ſed fragor hic, ſi vix aures, animum certè non percellit: ſtringitur vinculis; ſed libertas menti non adimitur: fratrum odijs inſultantium concutitur; ſed conſtantia non excutitur: detruditur in ergaſtulum; ſed virtus non op-

pri-

primitur: eripitur oculis dies; ſed animo augetur: in inchoato ſiſtitur motu; ſed libera mentis non impeditur evolatio: humana arcentur conſortia; ſed angelica hæc ſupplet conuerſatio: ſurgentibus de terra offunditur vaporibus; ſed ardor æſtuantis diſſipat conſumptos. Nihil agis immanis ferociâ Theodora! nihil ferox immanitate mater! cælum obſcurari poteſt, tolli non poteſt. Ac proinde non ideo mortales fatale quidquam portendi vobis vaticinemini; per noctem ad diem itur: Cælum veſtrum modica hæc diſpendia, majore compenſabit auge. Quid dixi? parcite præcipiti A. præſagio: inſolita rerum iterum confuſio, grauem minatur perniciem! omnia luctus, omnia ſolliciti plena deprehendo timoris. Horret mens, tantiſq; torpeſcit malis: ſubita metamorphoſi in præceps mundi agi præſentio fata. Cælum Veneris, Cælum ſolis inuolat! ſidus Veneris in Cælo ſolis horoſcopum quærit! virtutes illius è propria audet mouere ſede, & à ſuis convulſas cardinibus, in Averni inanes deturbare hiatus: inq; laſcivi aſſuetum ſigno oriri tauri, virginis caſtæ ingreditur domum. At quorſum, veſano concita amore, proruis Venus? hæreditaria Creatoris poſſeſſio, turpis volupiæ non ſuſtinet contubernia; cælum, duos non patitur planetas. Procul hinc temeratis infame noctibus, & vitioſis decoctum ignibus Numen! procul cæcorum amicus penetralium Cupido! non in ejuſmodi ſagittario Aquinaticus ſolet immorari Phæbus, qui in obſcuro immaculatos corde

 cru-

crudeliter ſagittet. Abſcede inſolens puer; quæ tuam caſtigent temeritatem virgæ, non deerunt, grandioribus in te animadvertetur cometis. Moliaris extrema licet projecte in omnem turpitudinem laſciue puelle; opus Dei excelſi, templum Spiritus Sancti non demolieris. Potes ſacrilege incendiarie mentium, flammas & ignes excitare; ſed rore cæli imbutum pectus nullis corripies incendijs. Bonum quidem omen, ſi propudioſa viciniora cælo numina, clauſuram profitentur, ſi non ideo pænitentiam quærerent, ut innocentem efficiant juvenem pænitere. Tarde tamen veſtra agnouiſtis ſcelera, ſerò cum cælis reconciliari quæritis, non ilico ſanctam incipitis converſationem: profeſſio hæc voluntarij ſeceſſus, non ita voluptati præcludit iter, ut omnino renuncietis illi: ſpontanea anguſtijs coarctatio, ſincera non creditur; quæ famulatore inferni ſtipata dracone, tertiam partem ſtellarum detrahere nitimini: ultroneo mancipatio ingreſſu fætentis cellæ, ruinam celat; ne in carcere quoq; mancipijs amorum deliciari placeat: irides hæ oculorum, perpetuos pænitudinis præſagiunt imbres; arcus hi, belli non pacis teſſera, ignitis metuendi telis. Retrahe igitur dexteram ab odoratis decori vultus lilijs, quæ in precium attactus, expuncta probitate, infinitis conſcientiam torquerent aculeis. Quærit ſub tenebris delicias formoſũ Numen, hoſpitari petit in hoc opaco: cave! ne domeſticum in corde factum, locum occupet Dei. Evoluit ſe coràm oris purpura, imò pro-

vo-

voluit: vide! ne ab hoc ignitabulo latentes erumpant ſcintillæ. Lilia mixta roſis frontis poſſederunt aream: time, hos penſiles ad nutum, ingredi hortos! ſaucium inde referes greſſum, Quid ageret THOMAS? quæ tela in effrons detorqueret monſtrum? quomodo erraticum ſidus, e ſuo depelleret conuexo? exardeſcit in ignes, ſoluitur in fulmina, ſuâ exterminat ſphærâ, pridem vulcaniæ aſſociatam incudi Venerem; ignitos in verticem congerendo carbones, ad furnos & fuligines damnat, teſtes ſceleris inurit notas, ut taliter calamiſtrata, Acheronticos ſibi noſceret potius debere receſſus, non nitidas polorum regiones, additarumq; conſcia in ore muſcarum, quàm inuerecundæ mentis tegerent ſimulacrum, procaciori abhinc non ita ferretur in ſolem aſpectu. Plauſit Cælum poſt debellatum Orcum; in triumphum, crucis erigit trophæa, ad quam famulans illi egit mancipium: irruptione turbatum venerea, ſuæ quaſi gratulando paci, pacatum quieſcit; ampliore tamen ab advolantibus Intelligentijs cingitur, & ornatur faſcia zodiaci, ut ſolidiore appendatur torque. Et ut purarum nonniſi mentium exinde pateat receptaculum, aureis Angelica manu deſponſatur annulis, ne quid coinquinatum patiatur introire, vel ſimilem iniquitatem reuelet. Iamq; arbitramini forſitan Dominum de Sublimi hoc proſpexiſſe? validiores adhuc parantur aſſultus! muliebris à pertinaci propoſito non vult inſanus deſiſtere furor, & qui Dijs ſimilis quondam ambiebat eſſe, cælos nunc in-

vadere conatur. Verùm excidet manibus hæc præda tuis: Dei enim Habitatio est; Dei Habitatio est! tu mundi facere allaboras? in communem est appensum lucem; appensum in lucem! tu detrahere in terram ſtudes, nec jubenti Deo obtemperabis, cujus voci terra obedit; terra! tu reluctaberis? sol obsequitur; sol! tu refragaberis? ignis paret, mare jussa perficit, montes acquiescunt, bruta morem gerunt jumenta; jumenta! montes! mare! ignis! tu hoc intractabiliorem, illis incultiorem & contumaciorem te præbebis? vox Dei est! assentire; voluntas est! submittere illi. Redijt ad meliorem parens irata mentem, arctiore filium custodiâ dissimulando dimittit. Eluctare igitur, ad meridionalem jam nunc stationem, tua decurre signa: nullus venenatus Plutonis scorpio cohibebit cursum, nullus retrogradus retrahet cancer, non rugiens terrebit leo, donec super Neapolitanos steteris fines. Aristotelici latifundia Euripi, suis arentia fontibus, pleniore nequeunt decurrere alveo, exiguis jam vix scaturiunt undis, donec largis in illum depluas stillicidijs. Porphiriana arbor secus illius plantata decursus, neq; in tempore grauidatur fructu, quandoquidem efficaci tuo fæcundari indiget influxu. Theologici altitudo maris, exhaustam se fatendo, peritissimos absorptos in fundo præsentat naucleros: plures idem sperant naufragium, si directricem illis non accenderis stellam. Neapolim ergo defertur THOMAS: Theologicis, & divinis dissertationibus, os & studio-

diosam attinet mentem; catholicæ veritatis exarat ideam, quam adeo inconcussis circumsepit argumentis, ut pro muris aheneis, contra hæreseos obiciatur incursiones. Poterat olim sophisticis de Erebi schola transsumptis rationibus, cæcam urgere pertinaciam hæreticus livor; fortioribus tamen cornutis syllogismis, corrivalium invidiâ bosculus THOMAS existimatus, ita eam retudit & expunxit, ut ora concluserit blasphema. Et verò tempus jam, ut e meridianis statiuis, post quietem religiosam, velociori accingaris cursui: restat, ut non Neapolitanæ solùm beneficum experiantur, remotiores tandem plagæ tuo exhilarentur aspectu. Lugdunensis, vitiorum æstibus decoquitur terra; cælestis plantatio in sua arescit radice; semen verbi Dei in terras jactum, vigore caret; Christi messis in ipsò emoritur flore. Nescio, quod sidus terras inundauit tempestate, saxea electum frumentum quatiens grandine, vineam Domini deuastans, furentibus Euris præcelsas Cedros Montis, qui Christus est, frangens; obvia nubibus Libani sternens decora, annosa cædens robora. Sponsa, tota nocturnis tecta tenebris, vicos & plateas obambulat, de Dilecto sollicita suo. Exturbatus hæreseos impetu ex suis sanctuarijs Deus, securiora Sancta Sanctorum habere non potest, quàm in tuo sole. Petri nauis decumanis jactatur procellis, scopulis alliditur; summo jam in fluctu pendet, rapidis mox vorticibus absorbenda: sed collectas fuga nubes, redde tranquillitatem. Quid moram nectis?

 Sum-

Summi Pontificis, Vicarij Dei, evocaris & inuitaris literis: totus purpuratorum Patrum præstolatur senatus: tyarata exambiunt capita: audient te prima Ecclesiæ Lumina, ut atris propositionum nubibus, lumen & Numen adferas. Iam Tarracinensem prætergrediebatur tractum, cùm mortualibus e Fossa nova surgentibus intercęptus umbris, in æternam clausit sua lumina noctem, stellâ occumbenti parentante. Sed lugeant potius, non luceant stellæ, cùm immensæ magnitudinis Cælum fertur in occasum! magna Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus, ab auara occupatur morte. Immoriamini vestro satius splendori serenati fulgores! cùm irruente fatorum nocte, fulgor immensæ lucis terris occubuit.

Et jam cujus præsentiâ Cæli vos A. recreari vidi, non minùs absentiâ torqueri doleo, tantamq; tristitiam animis deprehendo ampliari, quantam intulerat amænitatem; nisi Dominicanum Horizontem hæc dispendia scirem compensare. Ferax es luminum Sacratissima Religio, quæ in tuam professos regulam, vel ad Summi Pontificatus apicem, vel ad Cardinales purpuras, Archiepiscopales eminentias, Præsulea insignia, ad Doctorales promoues, & educas laureas, ut ab Honorio tertio non frustra te approbatam profitearis. Pariter cælestes dispensas fulgores, nova semper sanctitatis sidera terræ collucentia, Enipyreis enutriens sedibus. Ecclesiæ Catholicæ, quot! & quanta subministraueris lumina! testis

est

est universus orbis, quæ super candelabrum posita, cum Innocentio quinto, Benedicto undecimo, Pio quinto mundum illustrârunt. Taceo plus quàm quadraginta purpuratos Ecclesiæ Cardinales, ingentia Nomina sanguinis, sapientiæ, & sanctitatis. Mitto Patriarchas octodecem, Archiepiscopos centum triginta, innumeros sacros Regum & Principum Oratores. Non attingo infinitam Doctorum multitudinem, qui Italiam, Hispaniam, Galliam, Poloniam, Germaniam, omnes deniq; Regiones, Provincias, Insulas illuminârunt; quorum redimiendis capitibus, cùm adoreas queruletur sibi deesse Apollo neq; ego in publicum propono. Nec mirum, alij amici, vel serui Palladis; vos Reverendissimi Patres, exhausto illius ingenio, supra Romanam Minervam Vestros attollitis vertices. Submisit sapientiæ Dea eruditum caput, cùm Vestra eruditissima aduertisset. Calcatis scientificum Numen, sanctiores professi literas, pro scuto, millia librorum, pro Ægide, calamos præferentes. Libenter se ipse Iupiter vestris substernit plantis, ut illustrior assurgeret, cælum sibi sub pedibus collocans, qui non aliò veloces urgent gressus, quàm ut magnis virtutum passibus ætherium attingant limen. Prætermitto per quinq; prope sæcula continuatos Patriarchæ Vestri Successores, Sacri Palatij Magistros. Alibi scilicet Magistros inuenias scholarum, apud Vos Magistros Palatij, qui cultus Pontificij doceant, & dictent præcepta. Habetis Religiosissimi Patres tot discipulos, quot Ro-

ma-

manam accedunt Curiam, vel Summi Pontificis offeruntur obtutibus. Non priùs ad osculum pedum, submissa admittitur veneratio, quàm Vestram prius in Vaticano, profundiore cultu honorans eminentiam, ad sacra aditum sibi efficiat libamina. Tot deniq; spectatis discipulos, quot in Romana, Parisiensi, Tolosana, Salmaticensi, Complutensi, Bononiensi, Lovaniensi, Leodiensi, Duacensi, Patauina Aurelianensi, Cracoviensi, Zamoyscensi, Posnaniensi, omnibusq; Vniuersitatibus, Angelici Doctoris imbuitis dogmatibus; vel associatas Religiones exaratis munimentis tenetis. Et quamvis toti immersi plane esse videamini scientijs; ijs tamen studiosiùs incumbitis, quæ ad veræ Religionis incrementum pertinent, hicq; zelus ita in Vobis eminet, ut non multis, sed Vobis ingenitus esse censeatur. Nunquam tamen magis hic in Vobis excellit, quàm cùm pro more, ut alias virtutes, ita hanc ad populi utilitatem eloquenter transfertis: sapientiâ in admirationem, probitate in amorem rapiendo. Vnde liceat mihi, liceat obsecro à Vobis quærere: unde hæc verborum potestas, qua audientes disertissimi Prædicatores, percellitis, & ad obsequendum Deo durissimos permouetis: vel enim Dij terrestres estis, vel Deo pleni, obstinatos in vitijs animos, contumaces frangendo mentes. E cælo igitur hos ignes esse, quibus scelera exuritis, agnoscimus, cælestem animum, dona cælestia fatemur. Sed quis ego, ut in Vestram descendam panegyrim? quos Summi in

ter-

terris Pontifices suis sunt prosecuti elogijs? gloria Vestra perennis est; utpote indelebili charactere, Romanæ incisa Petræ: vera est, Vobisq; propria, annulo Piscatoris desponsata: secura est; Petri commissa clauibus. Honorius tertius: pugiles Vos fidei, & vera mundi lumina agnouit. Alexander 4tus exultans spiritu, Ecclesiæ suæ gratulatur statui, quòd per Vestræ prædicationis, & doctrinæ salutaris instantiam, divina suffragante gratia sit illustrata. Clemens 6tus; in ordine Vestro quasi solis radium eruditionem lucere testando, tenerrimo Vos est complexus amore. Bonifacius nonus, multiplicibus radiantes splendoribus aduertens, sonum prædicationis per diuersa mundi climata exiuisse exclamauit. Et vero etiam nunc tales Vos noscimus, terræ Decora, orbis Deliciæ, probitatis Miracula, sapientiæ Prodigia, Orthodoxi soles cæli, Ecclesiæ Atlantes, fidei strenui Propugnatores, Hæreticorum Terrores, Gentilium Victores, militiæ Christianæ Antesignani, fluctuantis Petri naviculæ Naucleri, orbis totius Instructores, Academiarū Fulcra, Theologorum Compendia, eruditionis Oracula, Exempla sanctitatis. Tanti enim jam estis eruditione, & vitæ innocentiâ non degeneres à Patriarcha Vestro Filij! ut qui Vos ideo Doctos & sanctos dixerit: parum dixerit: qui doctissimos & sanctissimos, aliquid dixisse conatus fuerit. Verùm video animi humilitatem infra præconia descendere: sed facile ignoscetis, qui majora exhibetis; imo ad finem peruenturam vix sperarem

orationem, si defessam & labentem ad terminum deducendo, à Vestris assequendis virtutibus non abstraherem. Vestrum tamen est, quidquid dixi; quæ occurrerunt, attigi, cùm plura numerari non possent, quæ à Vobis geruntur. Deniq; si Divinissimi Doctoris, veneraturus tantùm accessi virtutes, non elocuturus; parcetis tenuitati sermonis mei, si in adornandis Vestris panegyribus deficiens, Sanctissimi Doctoris perpetuus, non Orator, sed humilis descendero

ADORATOR.

